

ille historiae naturalis, hic Oeconomiae. D. Holmius hunc in finem salario 700—900 imperialium suffultus, peregrinationes per Germaniam, Hollandiam, Angliam &c. instituet, vt sibi campum oeconomicum familiarem reddat. D. Ascanius vero hic restabit, et praelectiones publicas habere obligatus est. Salarium eius est, quantum scio, 3 vel 400 imperialium.

D. Widemann jam Göttingæ studia sua prosequitur.

D. de Rohr retulit: duos jam Candidatos Americam pererrare, ab Imperatore Germaniae, Francisco, eo missos et generoso stipendio suffultos, vt omnia curiosa in tribus regnis naturae ibi obuenientia colligant, exquirant, coemant et transmittant; in quo negotio propter pecuniam paratissimam non infelicem successum eos habuisse, fatetur. Idem de Rohr litterarum commercium habuit cum alio Naturalista, Gallo, in insula St. Domingo commorante, qui sumtibus vel Regis vel privatorum quorundam Galliae suffultus quotannis ingentes cistas naturalibus repletas ad Galliam transmisit. Apud Ipsum vero valet: deficiente pecu — deficit omne — nia.

De tomo I. operis Tui ad me transmissio addere Tibi placuit: Vtinam ille non nimis displicuerit. Ah! quantum abest a displicere! Invideo Tibi potius indefessam Tuam constantiam, quam in tanto labore adornando adhibuisti et adhibere vales. Ego sane, quantocumque etiam amore in studium naturae feror, illam indefessam constantiam imitari non amplius valeo. Valerem id forsitan, nisi umquam — » — commoratus fuisset et si continua sedes in patria mihi decreta fuisset. Sed persecutiones, quas ibi (non raro diligentiae meae caussa) passus sum, et frequens objectio panis peregrini, quo, non me, sed deo ita volente, vesci debeo, me ita frigidum reddiderunt, et studium meum honoris scriptis acquirendi, ita mitigarunt, vt vix, nisi coactus, a me impetrare possim, vt manus calamum ad scriptum aliquod adornandum adprehendat. Oh Te multum feliciorum in Patria Tua! Illa Te alit non solum sine objectione panis comesti, sed Te quoque suum decus habet, Teque superbit: ego vero, si mediocria enitor et praefero, intactus excedo, talia enim nemini invidiam movent. Si vero diligentius aliquod elabora-